

Zeitschrift: Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg

Band: 68 (2021)

Heft: 2

Artikel: Disputatio aliqua inedita XVII : saeculi adversus Arriagae sententiam de transcendentali veritate entis

Autor: Knebel, Sven K.

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-1047460>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 19.11.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

SVEN K. KNEBEL

Disputatio aliqua inedita XVII. saeculi adversus Arriagae sententiam de transcendentali veritate entis

Peripatetica doctrina de ‚transcendentali‘ rerum veritate ex celebri dicto Stagiritae (*Metaphysica* II, 1, 993b30) deprompta est, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem. „Esse rei“, inquit Thomas de Aquino hoc loco, „est causa verae existimationis, quam mens habet de re.“ Consideranti patebit pensum totius philosophiae occidentalis in his paucis verbis virtualiter contineri. Propterea investigatio historica de hac materia non est negotium studio fontium medii aevi absolutum. Immo maior pars actorum ad periodum pertinet post Concilium Tridentinum usque ad ineuntem saeculum XVIII. Octava illa Suarezii *Disputatio Metaphysica* monumentum perenne est eruditionis scholasticae. Rursus disputatio aliqua habita anno 1653/54 in collegio Cordubensi Societatis Iesu curiosum specimen praestat controversiarum de hac re inter philosophos iuniores. Iosephus de Victoria et Davila (1617–1673), auctor alicuius inediti cursus philosophici, defendebat viam antiquam, secundum quam res, sicut per propriam formam, per quam ponitur in actu, habet, quod sit ens, ita per eandem formam nata est seipsam intellectui repraesentare et de seipsa facere veram existimationem. Quam quidem sententiam potius praemissam invenimus quam propugnatam, cum auctor quasi totam operam insumpserit in refutanda aliqua sententia opposita. Adversarius eius fuit Iesuita Rodericus de Arriaga (1592–1667), cuius *Cursus philosophicus* anno 1632 primo editus per totum XVII saeculum vigeat. De statu quaestionis, contextu et historico et biographico iam (*FZPhTh* 68 [2021] no. 1, pp. 67–97) disse-rui. Constitutio textus pendet ab unico manuscripto extante, BU Sevilla Fondo Antiguo 330/050. Descriptionem totius codicis, qui, inter alia man- scripta, hoc continet fragmentum tractatus in universam Aristotelis *Metaphy- sicam* (93 foll.), debemus Eduardo Moore (*Manuscritos teológicos postri- dentinos de la Biblioteca de la Universidad de Sevilla, Archivo Teológico Granadino* [1957] p. 238sq.). Codex in gratiam rei publicae literariae recen- ter electronico modo digitalizatus est (<https://archive.org/details/A330050>). Hinc manuscriptum ubivis commode studeri potest. Restat observare rub- ricas ab editore additas esse. Scholia tam apparatus criticum respiciunt quam scholasticum.

IOSEPHUS DE VICTORIA ET DAVILA SI.
Commentarii tractatus in universam Aristotelis Metaphysicam,
Ms. BU Sevilla Fondo Antiquo 330/050

<75v> **DE TRANSCENDENTIALI VERITATE ENTIS**

5

Cap. 1 Transcendentalis veritas explicatur

1 ‚Veritas‘ dupliciter accipitur, 1^o pro veritate logica, 2^o pro transcendentali veritate.¹

De veritate logica disputavimus in Logica. Quae quidem est conformitas <76r> logica actus enunciativi cum obiecto suo, sive obiectum istud possibile sit, sive non, constituiturque per extremum utrunque, videlicet, per actum enunciativum, et per hoc, quod obiectum ita sit, vel ita fuerit, vel ita futurum sit, aut non sit, sicuti ab actu enunciatum esse sive non esse. De transcendentali veritate agimus in praesenti, ut quae ad Metaphysicum spectet.

15 Sed imprimis suppono, ‚veritatis transcendentalis‘ nomine intelligi aliquod praedicatum, quod omni rei possibili conveniat. Consequenterque falsitas, quae opponitur transcendentali veritati, non poterit convenire alicui rei possibili. Alioquin transcendentalis veritas et falsitas ipsi opposita convenirent simul eidem rei possibili, proindeque transcendentalis veritas et falsitas ipsi opposita non erunt praedicata inter se metaphysice opposita.

20

[Prima definitio]

2 ARRIAGA docet, dupliciter accipi ‚transcendentaliter verum‘: 1^o apud „non Philosophos“ pro illo, quod non est fictum nec chimaera, et in hoc sensu *verum* addit negationem chimaerae;² 2^o pro illo, quod est „conformabile conceptui ipsius“, vel quod in re „est sicut concipitur“: in quo sensu aurum est *verum* aurum, quoniam habet revera id quod significatur per conceptum istum ‚aurum‘, et aurichalcum non est *verum* aurum, quia non habet re vera id quod significatur per istum conceptum ‚aurum‘, sed solum assimilatur. Unde colligit, falsum, prout opponitur transcendentaliter vero, esse id, „quod, cum habeat aliquam similitudinem cum ente vero, non tamen est illud“.³

25

¹ Cf. COLLEGIUM CONIMBRICENSE SI.: *Commentarii in universam Dialecticam Aristotelis Stagiritae*: In Perih. cap. 1 q. 5, Lugduni 1607, t.2, pp. 52sq.; R. DE ARRIAGA SI.: *Cursus philosophicus*: Logica 14, 1, Antverpiae 1632, p. 186a; F. DE OVIEDO SI.: *Integer cursus philosophicus*: De anima 7 prooem., Lugduni 1640, t.2, p. 116.

² Haec expositio locum habere non potest. Obscuram reddit primam acceptionem ‚veri‘ relata ab ARRIAGA: *Curs. phil.*: Metaphysica 1, 98–99, op. cit. pp. 831b/32a.

³ ARRIAGA: *Curs. phil.*: Metaphysica 1, III, op. cit. p. 834a.

[Prima impugnatio]

3 Plura displicent in ista doctrina.

1° Displicet, quod asserat ‚verum‘ sumi a „non Philosophis“ pro vero et reali, falsum quidem pro ficto et chimaerico. Hoc enim immerito asseritur ab ARRIAGA,

5 quoniam a multis Philosophis ea ratione usurpatur.

Praeterquam quod, licet ‚transcendentaliter verum‘ sumatur pro vero et reali et pro illo, quod non est fictum, nequit absolute dici, quod *verum* dicat negationem chimaerae. Ratio est, quoniam ly ‚negationem‘ absolute prolatum non poterit significare praecise negationem logicam, quae ex parte obiecti sit ipsum

10 verum: quoniam, ut haec negatio logica explicetur per illam vocem ‚negationem chimaerae‘, debet addi aliquod additum, videlicet, negationem ‚logicam‘ chimaerae. Fateor equidem, quod, si per ly ‚negationem chimaerae‘ significaretur negatio logica, quae ex parte obiecti esset ipsum verum – repraesentatum tamen per modum negationis: quatenus videlicet est aliquid, quod non est fictum, id est tale, quod ipsi repugnet esse fictum –, sine dubio *verum* dicet negationem logicam chimaerae.

15

4 Unde ly ‚negationem chimaerae‘ absolute prolatum stabit pro negatione ab ipso *vero* distincta, stabitque pro negatione totius omnis chimaerae, consequenterque pro negatione physica etiam illius chimaerae, quae apprehendatur per modum entis impossibilis simplicis, v.g. Minotauri, Hircocervi etc.;⁴ sed ista negatio neque in recto neque in obliquo significatur ab ista voce ‚verum‘, etiamsi ‚verum‘ sumatur pro vero et reali: <76v> ergo etc.

20

Minor patet quoad primam partem, quoniam haec propositio vera est „Angelus est aliquid verum“, et haec propositio falsa est „Angelus est negatio physica Minotauri“. Ergo in prima propositione ly ‚verum‘, etiamsi ‚verum‘ sumatur pro vero et reali, non affert in recto negationem physicam Minotauri.

25

Patet consequentia ex toties a nobis observatis tam in Logica, tam in Physicis.

5 Eadem minor quoad secundam partem patet: Angelo Michaele manente, licet per impossibile darentur a parte rei Minotaurus et Hircocervus, adhuc tamen in ista hypothesi vera esset haec propositio „Angelus Michael est aliquid verum“. Ergo adhuc in illa hypothesi dabitur denominatio *veri*, qua Michael denominabitur aliquid *verum*. Ergo daretur adhuc quicquid explicatur per ly ‚aliquid verum‘ in Angelo Michaele.

30

Patet consequentia, quoniam per ly ‚verum‘ solum explicatur denominatio, per quam Michael denominatur aliquid *verum*; sed in illa hypothesi non daretur negatio Minotauri neque negatio Hircocervi; ergo denominatio, per quam Michael denominatur aliquid *verum* et *reale*, non dicit negationem physicam

35

4 Est locus communis, 1° conceptum obiectivum Hircocervi differre a conceptu obiectivo Minotauri, et 2° conceptum chimaerae respectu utriusque conceptus genericum esse. Auctor supponit hanc divisionem entis impossibilis: „Impossibile aliud considerari potest simplex, aliud compositum. Primi generis erit identitas Petri cum Paulo v.g. Rursus impossibile compositum aliud considerari potest compositum ex multiplici positivo impossibile, v.g. compositum ex Hircocervo et Minotauro physice unitis. Aliud considerari potest compositum seu coniunctum permanens ex duplici extremo physice contradictorio, v.g. coniunctum permanens ex Petro et negatione Petri.“ (foll. 89v/90r)

40

41

42

43

44

45

46

47

48

Minotauri et Hircocervi. Ergo ly ‚verum‘ non explicat negationem Minotauri neque in obliquo. Ergo vox ista ‚verum‘, licet ‚verum‘ sumatur pro vero et reali, non explicat in obliquo negationem Minotauri.

5 6 His accedit, quod illae voces ‚verum et reale, quod non est fictum‘, si aliquam negationem physicam explicarent in obliquo, non explicarent negationem physicam seu negationes physicas Minotauri et Hircocervi, quibuscum non identificatur Michael *verus*, v.g., sed explicarent negationem physicam identitatis inter id, quod verum est, inter Michaelem v.g., et Minotaurum aut Hircocervum. Sed negatio ista *identitatis* non est negatio physica Minotauri aut
10 Hircocervi. Ergo etc.

7 Unde concluditur, quod, si voces istae ‚verum et reale, quod non est fictum‘ non afferant, neque in obliquo, negationem illam identitatis, sed negationem logicam, quae ex parte obiecti sit illud, quod dicitur *verum* – quatenus videlicet est tale, cui repugnet identitas cum ficto –, erunt aequivalentes his vocibus ‚verum‘ et ‚reale‘. Si autem explicent negationem illam *identitatis*, aequivalentes non erunt.
15

[Secunda impugnatio]

8 2° Displicet in eo, quod dicat, verum esse, quod in re est „sicut concipitur“. Contra enim est, quoniam omne ens reale debet esse transcendentaliter verum;⁵ sed non omne ens reale in illo sensu esset transcendentaliter verum: ergo transcendentaliter verum non bene definitur ‚id quod in re est sicut concipitur‘.
20

Patet minor: Non omne ens reale est in re <77r> sicut concipitur: ergo etc.

Patet antecedens: Plura entia realia non sunt in re sicut concipiuntur: ergo etc.

25 Patet antecedens: Plura entia realia concipiuntur aliter ac sunt in se;⁶ sed eiusmodi entia realia non sunt in re sicut concipiuntur: ergo non omnia entia realia sunt in re sicut concipiuntur.

Patet maior, quia Angelus concipitur ut iuvenis, et Petrus concipitur ut equus. Eiusmodi entia concipiuntur aliter ac sunt in re. Ergo etc.

30 9 Praeterea: Si transcendentaliter verum sit illud, quod in re est ‚sicut concipitur‘, falsum oppositum ipsi vero erit quod in re *non* est sicut concipitur. Ergo omne falsum oppositum transcendentaliter vero non bene definitur ab EODEM AUTHORE illo „quod habeat aliquam similitudinem cum ente vero, non tamen est illud“.

35 Patet consequentia, quoniam transcendentaliter verum et falsum ipsi oppositum debent explicari per praedicata inter se opposita. Ergo, si transcendentia-

⁵ „Veritas, quae est passio entis, non dicitur nisi de solis entibus realibus.“ L. MOLINA SI.: *Commentaria in Primam D. Thomae partem Q.16, 4, Conchae 1592, col. 739C*. Cf. F. ZUMEL OM.: *Commentaria in Primam partem S. Thomae Aquinatis Q. 16 art. 1, disp. 1, Salmanticae 1590, p. 507b*; F. SUAREZ SI.: *Disputationes Metaphysicae 8, 7, 35–36, Opera omnia, Parisiis 1856–1878, t.25, p. 307a*. Laxiorem modum loquendi praefert G. DE VALENTIA SI.: *Commentaria theologica 1, 1, 16, 1, Ingolstadii 1592, t.1, col. 372C*.

⁶ Cf. F. ALPHONSO SI.: *Disputationes in universam Aristotelis Logicam 12, 79, Compluti 1639, p. 286b*.

liter verum definiatur ‚illud quod est in re sicut concipitur‘, falsum ipsi oppositum definiri debet ‚illud quod non est in re sicut concipitur‘. Quod si falsum oppositum transcendentaliter vero definiatur ‚illud, quod non est in re sicut concipitur‘, alicui enti reali conveniet esse falsum, prout est oppositum transcendentaliter vero. Sed hoc implicat. Ergo etc.

5 Maior constat. Nam quando Petrus concipitur ut equus, Petrus non est in re sicut concipitur, et tamen Petrus est in se aliquod ens reale.

Minor⁷ patet. Nam esse verum transcendentaliter convenire debet omni enti reali: ergo falsum oppositum transcendentaliter vero convenire nequit alicui
10 enti reali.

Patet consequentia,

1° quia aliter transcendentaliter verum et falsum ipsi oppositum non essent inter se metaphysice opposita;

2° quoniam aliter falsitas opposita veritati transcendentem esset sicut ipsa veritas. Quod quidem est absurdum, ut patet.

15 Patet illatum, quoniam omni enti reali convenire potest, quod non sit in re sicut concipitur: ergo etc.

Patet consequentia: Quodlibet ens reale potest concipi aliter ac est in se; sed eo ipso ipsi enti conveniet non esse in re sicut concipitur, et consequenter
20 conveniret ipsi esse falsum iuxta praedictam explicationem falsi. Ergo enti omni reali convenire poterit esse falsum, prout opponitur falsum transcendentaliter vero.

[Tertia impugnatio]

10 Rursus affert PRAEDICTUS AUTHOR pro exemplo transcendentaliter veri aurum, eo quod sit *verum* aurum, et pro exemplo falsi, prout oppositi transcendentaliter vero, affert aurichalcum, propter quod sit *falsum* aurum. ‚Falsum‘
25 aurum ab ipso dicitur, quoniam assimilatur auro, cum tamen aurum non sit.

Contra infero: Ergo ens omne reale, quod penes accidentia exteriora assimilatur alteri enti reali essentialiter dissimili, poterit dici *falsum*, prout falsum
30 <77v> opponitur transcendentaliter vero.

Unde etiam infertur, quod idem ens reale simul sit transcendentaliter verum et etiam falsum, prout opponitur falsum transcendentaliter vero.

Unde tandem infertur, transcendentaliter verum et falsum, prout ipsi oppositum, non esse praedicata ita metaphysice inter se opposita, quod primum ens
35 omne reale transcendat, secundum autem enti cuicumque reali repugnet.

[Quarta impugnatio]

11 Denique displicet doctrina superior ab ARRIAGA tradita in explicatione falsi. Ait enim, falsum oppositum transcendentaliter vero esse „illud quod, cum habeat similitudinem cum ente vero, non tamen est illud“.

40 Contra enim est, quia Minotaurus dicit, apud OMNES, ens falsum, prout opponitur transcendentaliter vero, et tamen Minotaurus nullam habet similitudi-

⁷ MS.: Maior

nem cum ente vero et reali: ergo falsum non est illud, quod, cum habeat aliquam similitudinem cum ente vero et reali, non tamen est illud.

De maiori nemo dubitat.

5 Minor patet: Nullum praedicatum essenziale Minotauro est, quod assimiletur enti vero et reali seu praedicato essentiali vero et reali: ergo etc.

Patet antecedens, quoniam aliter ens possibile et ens impossibile simplex convenirent essentialiter in aliquo essentiali praedicato. Ergo abstrahi posset conceptus univocus communis ab ente reali et ente chimaerico. Sed hoc falsum esse, satis ex Logica constat.⁸

10 [Secunda definitio]

12 Praeterea docent ALII,⁹ quod rem esse *veram*, est, realiter esse id, quod est. Displicet etiam haec definitio, nam confundit veritatem transcendentalem et identitatem realem.

15 Quod quidem ita probo: Identitas realis, ut ab IPSIS – et a NOBIS etiam – definitur, est forma, per quam res realiter est id, quod est. Ergo, rem habere identitatem realem secum ipsa, erit formalissime, rem esse realiter id, quod est. Sed rem esse transcendentaliter *veram*, ut ab ipsis explicatur, est, rem esse realiter id, quod est. Ergo explicatio identitatis realis eadem est atque veritatis transcendentalis explicatio. Ergo identitas realis cum veritate transcendentali confunditur.

[Tertia definitio]

13 Denique apud ALIOS transcendentalis veritas definitur ‚capacitas entis ad regulandam veritatem vel falsitatem actus tendentis circa illud‘.

Displicet etiam haec definitio,

25 1° quia per disiunctum traditur. Quod quidem est vitium in definitione omnino vitandum, ut saepius adnotavimus.

2° Displicet, quoniam ex praedicta explicatione infertur: Sufficit ad veritatem transcendentalem capacitas ad regulandam veritatem vel falsitatem logicam alicuius actus circa ipsam tendentis: ergo chimaera erit transcendentaliter *vera*.

30 Patet consequentia: Actus iste „chimaera non est possibilis“ *verus* logice denominatur tam a seipso, tam etiam ab eo, quod chimaera non sit possibilis, quia repugnatio chimaerae regulat veritatem actus illius circa ipsam tendentis. Deinde actus iste „chimaera est possibilis“ logice *falsus* denominatur tam a seipso, tam etiam a chimaerae impossibilitate. Ergo impossibilitas chimaerae regulabit falsitatem eiusmodi actus. Ergo chimaera regulat veritatem vel falsitatem logicam actus circa ipsam tendentis. Ergo chimaera potest regulare veri-

⁸ Hac propositione univocatio entis supertranscendentalis praeclusa est. Cf. SUAREZ: *Dispp. Met.* 54, 1, 10, op. cit. t.26, p. 1018a.

⁹ Cf. M. MEURISSE OFM.: *Rerum Metaphysicarum libri III ad mentem Doctoris Subtilis 2*, 3, 2, 3, Parisiis 1623, p. 359b; J. PONCIUS OFM.: *Integer Philosophiae Cursus ad mentem Scoti: Metaphysica 19, 15*, Romae 1641–1643, t.3, p. 742a.

tatem vel falsitatem actus circa illam tendentis. Ergo habet capacitatem ad regulandam veritatem vel falsitatem actus circa illam tendentis. Ergo chimaera est transcendentaliter vera.

[Definitio Autoris]

5 14 Quapropter transcendentalis veritas debet ita definiri:
Est illa forma,¹⁰ per quam ens potest verificare¹¹ propositionem enunciantem absolute¹² de illo ipsius essentiam.¹³
V.g. in Petro¹⁴ datur veritas transcendentalis, quoniam talis est Petrus ab intrinseco, qui possit ex parte obiecti verificare propositionem in sensu absoluto
10 enunciantem de Petro ipsius essentiam, videlicet, exempli causa, istam propositionem „Petrus est animal rationale“ in sensu absoluto acceptam.¹⁵
Bonitas huius definitionis constabit, si considerentur impugnationes, quibus impugnauimus definitiones alias hucusque traditas. Explicat enim adaequatam essentiam illius conceptus, qui per istas voces ‚transcendentalis veritas‘ significatur a Metaphysicis, quoniam significatur quaedam capacitas intrinseca enti
15 ad verificandam propositionem circa ipsum ens tendentem. Quae quidem capacitas non reperiatur in ente aliquo impossibili, reperiatur tamen in omni ente possibili; sed potentia ad verificandam propositionem enunciantem absolute de ente ipsius essentiam est capacitas intrinseca omni enti possibili, et nulli
20 enti impossibili, conueniens: ergo etc.
Quod autem transcendentalis veritas *adaequate* consistat in illo conceptu, qui per nostram definitionem explicatur, facile probo: Praecise posita in ente forma, per quam tale sit, quod possit verificare propositionem enunciantem absolute de illo ipsius essentiam, formaliter et immediate ponitur transcendentalis veritas. Et etiam e contrario: Praecise posita transcendentali veritate, formaliter et immediate ponitur eiusmodi forma. Ergo etc.
25

¹⁰ Quo pacto indicatur definiens importare aliquid absolutum. ‚Forma‘ hic accipitur pro forma tribuente subiecto aliquem effectum formalem, scilicet pro forma ‚denominante‘ hoc subiectum („ens esse *verum*“). Eodem sensu ‚forma‘ intelligendum est in textu Arriagae infra (nt 21) allegando.

¹¹ Explicatio veritatis mediante notione verificationis tunc in scholis invaluit. Cf. A. PEREZ SI.: *In Primam partem D. Thomae tractatus V: De Deo uno* 1, 15, Romae 1656, p. 4a; M. DE ESPARZA SI.: *Quaestiones disputandae de Deo uno et trino* q. 5 ad 6, 2, Romae 1657, p. 76; J.B. DE BENEDICTIS SI.: *Philosophia peripatetica: Metaphysica* 1, 3, Neapoli 1692, t.4, p. 155. Obiter IOANNES A S. THOMA OP.: *Cursus theologici in Primam partem D. Thomae tomus secundus* 2, 1, 20, Lugduni 1643, p. 38b.

¹² ‚Absolute‘, seu ‚in sensu absoluto‘, est abbreviatio pro assertive, affirmative et categorice.

¹³ Vox ‚essentia‘ significat (A. BERNALDO DE QUIROS SI.: *Selectae disputationes theologicae de Deo* 57, 7–8, Lugduni 1654, p. 380a) conceptum ultimo discriminantem et facientem differre talem rem ab alia.

¹⁴ Exemplum depromptum est ex Arriaga loco citato.

¹⁵ „Uti solemus definitione talis rei seu naturae ad probandum aliquid vere esse tale; definitio enim nihil aliud est quam explicatio talis naturae, ut a nobis concipitur.“ SUAREZ: *Dispp. Met.* 8, 7, 29, op. cit. t.25, p. 305a.

15 Falsitas veritati transcendentali opposita est incapacitas entis metaphysici¹⁶ ad verificandam ex parte obiecti propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam.

5 Quapropter chimaera dicitur ens *falsum*: quoniam nequit ex parte obiecti verificare propositionem in sensu absoluto enunciantem de chimaera ipsius essentiam. Nequit enim chimaera existere a parte rei ita, quod praecise existat. Sed hoc requirebatur, ut chimaera posset ex parte obiecti verificare propositionem in sensu absoluto enunciantem de illa ipsius essentiam. Ergo etc.¹⁷

Cap. 2 Nonnulla colliguntur ex dictis <78v>

10 1 Ex dictis capite praecedenti colliges

1° transcendentalem veritatem convenire omni enti possibili reali positivo.¹⁸

Quod quidem facile patet. Omne ens positivum reale tale est, quod ex parte obiecti possit verificare propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam. Ergo ens omne positivum reale transcendentaliter *verum* est.

15 [Falsitas transcendentalis distinguenda a falsitate logica]

2° Colliges, falsitatem veritati transcendentali oppositam esse aliquid impossibile.

20 Quod ita patet: Falsitas eiusmodi est incapacitas entis metaphysici ad verificandam propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam; sed incapacitas eiusmodi est aliquid impossibile: ergo etc.

Minor probatur: Eo ipso, quod ens metaphysicum nequeat ex parte obiecti verificare propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam, nequit existere a parte rei; sed eo ipso est impossibile: ergo etc.

¹⁶ Vox ‚ens metaphysicum‘ apud alios (J. LALEMANDET O.Minim.: *Disputationes metaphysicae de ente metaphysico*, Monachii 1645, col. 2–3) significat ens reale. Apud Auctorem accipitur in latiori, immo latissima, significatione. Vide locum aliquem in psychologia rationali (*De anima* tract. 2 disp. 1 cap. 3 § 1, Ms. BU Sevilla Fondo Antiguo 330/050, fol. 104v): „[...] ens omne metaphysicum, videlicet omne ens reale, omne ens negativum et omne ens impossibile“. Isto modo ‚ens‘ (quod alii appellabant ens ‚supertranscendentale‘) insuper traditur (*Metaphysica* fol. 2v) pro obiecto adaequato Metaphysicae: „[...] vox ista ‚ens‘ sumi potest in acceptione minus propria rigorozaque, ita quod se extendat ad significanda omnia entia praedicta, videlicet positiva realia, positiva repugnantia, et negativa. Quod si petas, quodnam sit obiectum adaequatum nostrae metaphysicae? Reo esse quidquid significat nomen ‚ens‘ in acceptione secunda impropria. Metaphysica enim non solum speculatur naturam entis realis positivi, sed etiam negativi realis, et impossibilis.“

¹⁷ Elucidatur ex doctrina Auctoris circa chimaeram qua obiectum verae enunciationis. Cf. *De anima* tract. 2 disp. 1 cap. 3 § 8, Ms. BU Sevilla Fondo Antiguo 330/050, fol. 105v: „[...] iudicium istud ‚chimaera non est possibilis‘ sicut etiam istud ‚chimaera, si poneretur a parte rei, contradictionem implicaret‘ non fertur in obiectum prout transcendentaliter verum, sed in obiectum, quod non est transcendentaliter verum, et in ipsum fertur, prout falsum, id est, prout impossibile.“

¹⁸ Consequenter nomen ‚veritatis‘ plurali numero construi potest. Cf. J. MARTINEZ DE RIPALDA SI.: *De ente supernaturali* 47, 3, Burdigalae 1634–1645, t.1, p. 517a; J.B. DE LEZANA OC.: *Summa theologiae sacrae* 5, 4, 5, Romae 1651–1658, t.1, p. 345a/b.

2 3° colliges, contra NONNULLOS RECENTIORES, falsitatem veritati transcen-
dentali oppositam non dari in rebus, neque post operationem intellectus.

Patet 1° illa conclusio: Cui conveniat falsitas transcendentali veritati opposita,
est impossibile; sed a parte rei nequit dari aliquid impossibile, neque post ope-
5 rationem intellectus: ergo eiusmodi falsitas nequit in rebus dari, neque post
operationem intellectus.

3 Patet 2°: Ut aliquod ens metaphysicum sit *falsum*, prout opponitur trans-
cendentaliter vero, tale debet esse, quod non posset ex parte obiecti verificare
propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam; sed be-
10 neficio intellectus fieri nequit, quod detur a parte rei aliquid, quod nequeat ex
parte obiecti verificare propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo
ipsius essentiam: ergo neque post operationem intellectus dari potest a parte
rei aliquid falsum, prout opponitur transcendentali vero.¹⁹

4 Patet 3°: Si dari posset eiusmodi falsitas in rebus post operationem intel-
15 lectus, maxime post illam operationem, qua intellectus cognoscat rem aliter ac
est in se; sed hoc non est inveniri in rebus falsitatem veritati transcendentali
oppositam post operationem intellectus: ergo etc.

Maior est ADVERSARIORUM doctrina.

Minor vero patet. Nam quando intellectus asserit, Petrum esse equum, quia
20 Petrus in re sit non-equus, et enunciatur ab intellectu, Petrum esse equum,
non arguit, quod in Petro beneficio intellectus ponatur falsitas transcendentali
veritati opposita, sed: quod in Petro detur inadaequata falsitas logica, hoc est,
inadaequatum constitutivum falsitatis logicae, qua iste actus „Petrus est equus“
denominatur logice *falsus*. Quae quidem falsitas logica longe diversa est a fal-
25 sitate transcendentali veritati opposita, de qua loquimur. Falsitas enim secun-
da nequit convenire enti alicui positivo reali, prima vero inadaequata <79r>
falsitas convenire potest cuilibet enti positivo reali, quoniam ad istam sufficit,
quod res ex parte obiecti difformetur a parte rei actui erroneo, quo intellectus
enunciet rem esse aliter ac est in se. Quod quidem convenire potest cuilibet
30 enti reali positivo.

Cap. 3 An transcendentalis veritas consistat in respectu transcendentali ad intellectum?

1 ARRIAGA hic, cum aliis, docet, transcendentalem veritatem consistere in
conformitate²⁰ saltem possibili obiecti cum suo conceptu mentali:²¹ ita quod

¹⁹ Est locus communis: „Nulla res potest dici *falsa*, falsitate opposita veritati transcen-
dentali, quia omnis res [...] nata est ex se posse causare veram sui cognitionem.“ L. TURRIANUS
Sl.: *Selectae disputationes in Theologiam scholasticam* 1, 10, 1, Lugduni 1634, p. 48bE.

²⁰ Est communis in schola thomistica: „Veritas [...] super quamlibet rem veram non ad-
dit nisi ordinem ad intellectum, et ideo etiam *verum* non addit supra *ens* nisi conformitatem
ad intellectum.“ ARMANDUS DE BELLOVISU OP. (fl. ca. 1320): *Declaratio difficultum terminorum*
Theologiae, Philosophiae atque Logicae 2, 26, Lugduni 1500, fol. 24r.

²¹ „Aliter potest accipi ‚verum‘, quatenus significat id quod est conformabile cum con-
ceptu ipsius, id est, quod ita est ut concipitur, vel ut potest concipi. [...] Adverte [...], verita-
tem in hoc secundo sensu sumi, ut a forma, ab ipsa cognitione possibili; unde, si illa esset
impossibilis, non daretur talis veritas in obiecto, quia non esset cognoscibile; daretur tamen,

veritas eiusmodi sit respectus transcendentalis ad sui mentalem conceptum saltem possibilem.²² Qui quidem respectus metaphysice²³ connectitur cum possibilitate mentalis eiusmodi conceptus. Unde, si iste redderetur impossibilis, res, quae antea erat conformabilis cum illo conceptu mentali, non maneret transcendentaliter *vera*.

Quod ita probat: Quod Petrus sit *verus* homo, est, quod habeat revera quod significatur per conceptum istum ‚homo‘; sed, si impossibilis esset iste conceptus ‚homo‘, nihil ille significaret: ergo, si fiat impossibilis iste conceptus ‚homo‘, non dabitur, Petrum esse *verum* hominem.

[Prima impugnatio]

2 Plura miscentur falsa in ista doctrina.²⁴

Contra enim est 1^o: Nam, si veritas transcendentalis Petri consisteret in conformitate Petri cum isto conceptu mentali ‚Petrus‘, consisteret in relatione conformitatis seu adaequationis seu intentionalis similitudinis, quae datur inter Petrum et mentalem istum conceptum ‚Petrus‘; sed eiusmodi relatio est praedicamentalis fundamentalis indivisibiliter consistens in utroque extremo conformitatis vel similitudinis intentionalis: ergo transcendentalis veritas Petri consisteret in relatione praedicamentali fundamentali in duobus illis extremis, videlicet in ipso Petro, et conceptu mentali ‚Petrus‘.

Sed hoc absurdum est: ergo etc.

3 Patet antecedens, quia nomine ‚veritatis transcendentalis‘ ab omnibus fere significatur quaedam veluti passio omnino metaphysice intrinseca cuilibet enti reali positivo; sed illa conformitas non est aliquid omnino metaphysice intrinsecum rei, v.g. Petro, qui denominatur transcendentaliter *verus*: ergo etc.

licet actu non cognosceretur, quia etiam tunc posset cognosci. [...] Difficilius est, utrum enti sit essenziale, posse cognosci, et consequenter, an verum in secunda acceptione sit illi essenziale, ita ut hoc ens non possit manere, si non esset possibilis intellectus a quo posset cognosci [...] Probabilius censeo, cognoscibilitatem esse intrinsecam et essentialem obiectis.“ ARRIAGA: *Curs. phil.*: Metaphysica 1, 100. 101. 107, op. cit. pp. 832a/33a.

²² Haec illatio, quae deest in Arriaga, potius est aliorum: „Quando dicimus ‚veritatem rerum‘ aut ‚res esse veras‘, significamus realem et transcendentalem ordinem rerum ad intellectionem possibilem.“ D. RUIZ DE MONTTOYA SI.: *Commentarii ac Disputationes de scientia, de ideis, de veritate, ac de vita Dei* 88, 7, 1, Lutetiae Parisiorum 1629, pp. 903b/04a. Cf. J.B. PTOLEMAEUS SI.: *Philosophia mentis et sensuum*: Logica 27, 3, 3, Romae 1696, p. 150b. Similiter Scotista PONCIUS: *Philos. Curs.*: Metaphysica 19, 20, op. cit. t.3, p. 744a. Res erat aequaliter controversa in ea schola. Non desunt Scotistae negantes rationem *veri* constitui in respectu ad cognitionem possibilem per relationem transcendentalem ad istam. Cf. F. STUMELIUS OFM.: *Opus de essentia et natura divina* 1, 132, Coloniae Agrippinae 1680, p. 69a.

²³ Hoc loco voce ‚metaphysice‘ denotatur gradus supremus aliquae connexionis conceptibilis in contradistinctione connexionis ‚physicae‘ vel ‚moralis‘.

²⁴ Praesens caput est quasi commentatio super quendam paragraphum Suarii: SUAREZ: *Dispp. Met.* 8, 7, 8, op. cit. t.25, pp. 297b/98a.

[Secunda impugnatio]

Contra est 2°, quoniam, licet transcendentalis veritas consisteret in illa conformitate praedicta, adhuc non consisteret in respectu transcendentali ad intellectum: ergo etc.

5 Patet antecedens: Conformitas illa est relatio praedicamentalis fundamentalis, vel adaequationis vel intentionalis similitudinis, quae datur inter Petrum et conceptum intellectus mentalem ‚Petrus‘; sed relatio praedicamentalis fundamentalis eiusmodi non est respectus transcendentalis, per quem Petrus referatur ad illum conceptum mentalem: ergo, licet <79v> transcendentalis veritas consisteret in illa conformitate, adhuc non consisteret in respectu transcendentali, quo Petrus referatur ad intellectum. Ergo etc.

[Tertia impugnatio]

4 Contra est 3°: Nam si transcendentalis verum, v.g. Petrus, diceret respectum transcendentalem ad conceptum mentalem ‚Petrus‘, ideo diceret, quia datur inter Petrum et eiusmodi conceptum aliqua relatio praedicamentalis, videlicet conformitatis; sed etiam inter eundem Petrum et quemcumque alium actum mentalem erroneum, qui enunciet, Petrum esse aliter ac est in se – istum v.g. „Petrus est equus“ –, datur aliqua relatio praedicamentalis, videlicet dissimilitudinis seu difformitatis: ergo eodem iure transcendentaliter verum, Petrus v.g., diceret respectum transcendentalem ad quemcumque actum intellectus erroneum ipsi Petro intentionaliter dissimilem, consequenterque res quaelibet diceret infinitos respectus transcendentales ad omnes actus intellectus possibles. Qui quidem infiniti sunt.

15
20
25 Patet consequentia: Nam quicumque actus mentalis comparetur cum Petro, vel huic est intentionaliter similis eiusmodi actus, vel dissimilis. Ergo Petrus diceret transcendentalem respectum ad quemcumque actum intellectus. Eodemque iure posset Arriaga asserere, transcendentalem veritatem Petri consistere in iis omnibus respectibus.

[Quarta impugnatio]

30 5 Contra est denique: Si Petrus v.g. connecteretur metaphysice cum possibilitate conceptus mentalis ‚Petrus‘, ratione conformitatis vel conformabilitatis connecteretur, quia videlicet referretur ad illum conceptum mentalem relatione conformitatis. Ergo Petrus etiam connecteretur metaphysice cum possibilitate cuiusque alius entis Petro similis.

35 Imo etiam connecteretur metaphysice cum possibilitate cuiusque alius entis. Quod facile patet ad hominem: quoniam Petrus, quandocumque est, vel similis est vel dissimilis cuicumque alii enti existenti et ab ipso Petro realiter distincto. Ergo Petrus diceret respectum transcendentalem metaphysice connexum cum possibilitate cuiuscumque alius entis.

40 Quod quidem absurdum est. Ergo et illud, unde infertur.

[Conclusio Autoris]

6 Ex dictis manifesta erit nostra conclusio. Asserimus namque, transcendentalem veritatem entis non consistere formalissime in transcendentali respectu entis ad mentalem conceptum intentionaliter similem ipsi enti.

5 Patet 1° ex supra dictis.

Patet 2°, quoniam eo praecise, quod ens aliquod tale sit, quod ex parte obiecti, seu quantum est ex se, verificare possit propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam, est transcendentaliter *verum*; sed quod tale sit, non constituitur formalissime per aliquem transcendentalem respectum ad conceptum mentalem aut ad intellectum: ergo transcendentalis veritas non consistit formalissime in respectu²⁵ aliquo transcendentali ad mentalem conceptum aut ad intellectum.

15 Patet minor: Nam quod ens aliquod tale sit, quantum est ex se, et quod nullum respectum eiusmodi transcendentalem <80r> dicat, [...] ²⁶ Ergo, quod ens aliquod tale sit, quantum est ex se, non constituitur formalissime, neque inadaequate, per eiusmodi respectum.

20 Consequentia legitima est. Et antecedens verum: quoniam, ut ens aliquod, quantum est ex se, tale sit, est, quod sit extremum, quod, quantum est ex se, potest constituere cum altero extremo, videlicet actu mentali supradicto, relationem praedicamentalem fundamentalem conformitatis seu adaequationis, seu intentionalis similitudinis; sed ut ens sit tale extremum, quantum est ex se, minime requiritur tamquam constitutivum, neque partiale, respectus aliquis transcendentalis ad alterum extremum: ergo etc.

Cap. 4 Obiectis obviam itur

25 [Prima obiectio]

1 Obiicies 1° cum ARRIAGA: Quod Petrus sit *verus* homo, est, quod habeat revera quod significatur per conceptum istum mentalem ‚homo‘: sed si impossibilis sit iste conceptus mentalis ‚homo‘, nihil ipse significabit: ergo, si fiat impossibilis iste conceptus mentalis ‚homo‘, non dabitur, Petrum esse *verum* hominem: ergo, quod Petrus sit transcendentaliter *verus* homo, metaphysice connectitur cum possibilitate conceptus mentalis ‚homo‘.

[Solutio]

Respondetur distinguendo maiorem claritatis gratia: Quod Petrus sit *verus* homo, est, quod habeat revera id, quod „significatur per conceptum mentalem

²⁵ MS.: conceptu

²⁶ Lacuna. Verba lineae dimidia illegibilia sunt. Dictio irreparabilis videtur, sensus tamen est: „[...] unum et idem est.“ Auctor haud obscure discurrit aliquo isto modo: Per id constituitur Petrus v.g. formaliter *verus* homo veritate transcendentali, per quod est conformis cum actu mentali affirmante, ipsum esse hominem; sed per suam essentiam est conformis tali actui, praeciso quocumque alio: ergo per suam essentiam est transcendentaliter *verus* homo.

5 ,homo““, id est, quod habeat ex parte sua quod significabitur per conceptum istum mentalem ,homo‘, si detur, – vel possit absolute significari per conceptum mentalem ,homo‘, si iste possibilis sit: concedo maiorem. Est, quod habeat illud, et quod significetur, aut absolute possit significari, per conceptum mentalem ,homo‘: nego maiorem.

Deinde concedo minorem et nego consequentiam.

2 Ut solutionem huius argumenti percipias, observa duo.

10 Primum, quod, si argumentum alicuius momenti esset, non solum probaret, quod Petrum esse *verum* hominem, connectatur metaphysice cum *possibilitate* conceptus mentalis ,homo‘, verum etiam cum *existentia* eiusmodi conceptus mentalis. Quinimo probaret, Petrum in esse *veri* hominis constitui saltem partialiter per ipsum mentalem conceptum ,homo‘: quoniam videtur asserere, veritatem transcendentalem Petri pendere a denominatione, per quam denominetur *significatus* per conceptum mentalem ,homo‘. Quod quidem falsum est, etiam in arguentis sententia.

15 Observa 2^o, aliud esse, quod Petrus, quantum est ex se, talis sit, quod, si *possibilis* sit conceptus mentalis ,homo‘ aut iste conceptus ,Petrus est <80v> homo‘, Petrus possit absolute conformari cum conceptu mentali²⁷ ,homo‘ aut absolute verificare conceptum istum mentalem ,Petrus est homo‘ in sensu absoluto enunciantem, Petrum esse hominem. Et hoc praecise constituitur per entitatem Petri, quae in se est animal rationale. In quo praecise consistit transcendentalis veritas, per quam Petrus est *verus* homo.²⁸

25 3 Aliud autem est, quod Petrus *absolute* conformari possit conceptui mentali ,homo‘, aut, quod *absolute* verificare possit conceptum istum mentalem ,Petrus est homo‘. Quod quidem non solum constituitur per entitatem Petri, sed etiam per possibilitatem conceptus mentalis ,homo‘ aut per possibilitatem conceptus mentalis istius ,Petrus est homo‘ absolute enunciantis. In quo minime consistit veritas transcendentalis Petri, per quam in se *verus* homo est. Alioquin transcendentalis veritas Petri non solum constitueretur per aliquid intrinsecum Petro, sed etiam per aliquid extrinsecum, videlicet per entitatem possibilem huius conceptus mentalis ,homo‘ aut per entitatem possibilem conceptus mentalis istius ,Petrus est homo‘ absolute enunciantis. Quod quidem falsum est etiam in adversa doctrina.

²⁷ conceptu mentali] *conj.*

²⁸ „[...] Aristotelem et D. Thomam asserere [...] entitatem rei esse fundamentum veritatis, nam haec ab entitate oritur et proprietas eius est.“ A. RUBIUS SI.: *Commentaria in universam Aristotelis Dialecticam*: In I Anal. Post. cap. 2 q. 2, Compluti 1603, t.2, col. 367. Cf. PS.-ALEXANDER DE HALES (i.e. DE ALEXANDRIA OFM.): *In XII Aristotelis Metaphysicae libros dilucidissima expositio*, Venetiis 1572, fol. 37rBA; AEGIDIUS ROMANUS OSA. († 1316): *Quaestiones metaphysicales* 2, 5, Venetiis 1501, fol. 14va; DOMINICUS DE FLANDRIA OP. († 1479): *In XII libros Metaphysicae Aristotelis Quaestiones* 2, 2, 4 ad 2, Coloniae Agrippinae 1621, p. 92aC; PAULUS SONCINAS OP. († 1494): *Quaestiones metaphysicales* 6, 17, Lugduni 1579, p. 113a. Auctor urget eandem distinctionem, qua adhibita schola Minimorum sententiam suam peculiarem amplexa est: „Ratio *veri* constitutive et intrinsece adaequate consistit in entitate reali, omni alio secluso, non tamen potest a nobis explicari sive explicite concipi nisi relative ad intellectum.“ F. PALANCO O.Minim.: *Cursus philosophicus iuxta miram Angelici Praeceptoris doctrinam digestus*: Metaphysica 12, 14, Matrity 31704, t.3, p. 388a.

4 Unde colliges manifeste, quod, si aliquid probaret argumentum supra factum, non probaret respectum transcendentalem ad conceptum mentalem – in quo quidem respectu transcendentalis veritas consisteret –, sed probaret, quod veritas transcendentalis Petri v.g. non solum constitueretur per entitatem Petri, sed etiam per entitatem possibilem conceptus mentalis. Nam etiamsi Petrus in esse transcendentaliter *veri* constitueretur per hoc, quod absolute possit conformari conceptui mentali ‚homo‘, constitueretur quidem per suam entitatem et etiam per entitatem possibilem conceptus mentalis ‚homo‘, non autem eo praecise constitueretur per transcendentalem respectum Petri ad conceptum mentalem ‚homo‘: quoniam, etiamsi Petrus non diceret respectum eiusmodi, dum tamen esset in se homo, et possibilis esset conceptus iste mentalis ‚homo‘, eo praecise Petrus diceretur absolute potens conformari conceptui mentali ‚homo‘.

[Secunda obiectio]

15 5 Obiicies 2^o: Praecise posito, quod Petrus *possit* a parte rei esse animal rationale, Petrus talis *erit*: quia possit ex parte obiecti, seu quantum est ex se, verificare propositionem enunciantem absolute de illo ipsius essentiam, videlicet istum conceptum ‚Petrus est animal rationale‘. Ergo praecise posito, quod Petrus sit realiter id, quod est, formaliter et immediate ponitur, quod possit, quantum est ex se, verificare propositionem illam. Sed transcendentalis veritas Petri consistit in eo, quod Petrus, quantum est ex se, possit verificare propositionem eiusmodi. Ergo transcendentalis veritas consistit in eo, quod realiter ens sit id, quod est.

[Solutio]

25 6 Respondetur, quod transcendentalis veritas est, quod ab istis vocibus ‚transcendentaliter verum‘ explicatur *in recto*. Quod quidem nihil est aliud, nisi quod Petrus, v.g., sit talis, quod possit existere cum sua essentia a parte rei: ita quod, si ponatur a <81r> parte rei, praecise habeat suam essentiam, non autem illam simul habeat et non habeat. Sed nihilominus ab illis vocibus *in obliquo* explicatur propositio illa vera, quam transcendentaliter verum, quantum est ex se, verificare potest. Ad quam etiam propositionem ratione refertur per istum conceptum mentalem ‚transcendentaliter verum‘. Qui relatio praedicamentalis formaliter est, quoniam ens dicitur transcendentaliter *verum* comparatione facta in ordine ad veritatem logicam, cuius pars esse potest a parte rei constitutiva.

35 7 Unde, quando petitur explicatio, per quam explicetur transcendentaliter verum sive id, quod explicatur istis vocibus ‚transcendentaliter verum‘, necessum erit non solum explicare, quod in recto affertur ab eiusmodi vocibus, sed etiam opus erit explicare in obliquo illud, quod ab eiusmodi vocibus, quae vices gerunt definiti formalis, explicatur in obliquo. Sicut, licet ens rationis non constituatur per cognitionem neque sit cognitio, sed ens impossibile, nihilominus tamen, quando petitur definitio entis rationis – per quam quidem explicetur, quod ab istis vocibus ‚ens rationis‘ explicatur, quae quidem voces vices

gerunt definiti formalis –, non satis erit explicare ‚ens impossibile‘ in recto, sed etiam cognitionem et intellectum in obliquo, ut formalis definitio vocalis recte correspondeat definito formali vocali, cuius definitio dicitur.

[Tertia obiectio]

5 8 Obiicies 3^o: Quod lapis sit falso Deus, nihil est aliud, nisi quod non sit Deus; sed revera a parte rei non est Deus: ergo a parte rei est falso Deus. Ergo a parte rei est Deus *falsus*. Ergo datur in rebus a parte rei falsitas veritati transcendentali opposita.

[Solutio]

10 Respondetur distinguendo maiorem: Quod lapis sit ‚falso‘ Deus, falsitate opposita veritati transcendentali, nihil est aliud, nisi quod non sit Deus: nego maiorem. Quod lapis sit ‚falso‘ Deus falsitate logica inadaequata: concedo maiorem. Deinde concedenda est minor, et consequens distinguendum sicut et maior. Itaque, quod lapis a parte rei sit, et non sit Deus, est: quod sit a parte rei in-
15 adaequatum constitutivum – vel actualiter inadaequate constituens vel saltem potens inadaequate constituere – falsitatem logicam huius propositionis „lapis est Deus“. Cuius falsitas logica constituitur per ipsam propositionem, et per hoc, quod lapis non sit Deus. Ut autem lapis esset ‚falso‘ Deus vel ‚falsus‘ Deus falsitate opposita veritati transcendentali, opus erat, quod lapis esset aliqua
20 entitas chimaerica, sive Deus chimaericus. Quod quidem non est.

[Quarta obiectio]

9 Obiicies 4^o: Transcendentaliter verum explicatur per ordinem ad conceptum mentalem intentionaliter similem. Ergo transcendentaliter verum dicit respectum transcendentalem ad eiusmodi conceptum mentalem. Ergo transcen-
25 dentalis veritas consistit in eiusmodi <81v> respectu²⁹. Antecedens patet: Definitum est illud, quod ex parte obiecti, seu quantum est ex se, verificare potest propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam. Ergo transcendentaliter verum explicatur per ordinem ad mentalem conceptum intentionaliter similem.

30 [Solutio]

10 Respondetur concedendo antecedentem et negando consequentiam.³⁰ Quae quidem nulla est, quoniam, ut saepius docuimus, non bene valet „res explicatur in ordine ad alteram: ergo dicit respectum transcendentalem ad alteram“.
35 Quod quidem facile ostenditur uno vel altero exemplo.

²⁹ MS. add.: eiusmodi

³⁰ Pro aliqua simili solutione de usu respectus transcendentis in materia theologica cf. P. DE ARRUBAL SI.: *Commentaria ac Disputationes in Primam partem D. Thomae* 99, 26, Martini 1619–1622, t.2, pp. 48b/49a.

Ens rationis est ens impossibile cognitum.³¹ Unde illud, quod ens rationis est, explicatur in ordine ad intellectum cognoscentem. Et tamen id, quod denominatur *ens rationis*, non dicit intrinsecum respectum transcendentalem ad intellectum cognoscentem, quoniam illud, quod est seu denominatur *ens rationis*, est ens impossibile. Quod quidem non refertur ab intrinseco, per transcendentalem respectum, ad intellectum cognoscentem.

Similiter: Albedo *a* in ratione *similis* albedini *b* explicatur per istum actum „albedo *a* similis est albedini *b*“. Et tamen albedo *a* non respicit transcendentaliter albedinem *b*, neque unum simile respicit transcendentaliter aliud quodcumque simile.

11 Itaque aliud est, quod una res ab intrinseco transcendentaliter referatur ad aliam, et aliud, quod ratione referatur ad aliam, videlicet per transcendentalem respectum ipsi rei extrinsecum. Qui est respectus rationis sive actus intellectus, qui etiam relatio praedicamentalis formalis est. Ad secundum sufficit, quod res explicetur per actum intellectus, qui comparet ipsam rem cum alia. Ad primum autem non sufficit, sed ulterius requiritur, quod res ab intrinseco et ex indigentia ipsius talis sit, quae nequeat comprehendi, quin altera res etiam cognoscatur. Quoniam potest fieri, quod res explicetur ab intellectu per ordinem ad alteram non ex indigentia ipsius rei, sed intellectus humani imperfecte cognoscentis, ut saepius dixi.

12 Potest etiam fieri, quod res significetur per vocem, quae quidem vox vires gerat definiti formalis et ipsam rem in recto significet, in obliquo autem aliam rem, ita quod ipsi voci correspondeat actus intellectus ipsam rem comparans cum alia, v.g. vox ista ‚prior‘. Unde, si petas explicationem ipsius rei per eiusmodi voces significatae, opus erit tradere explicationem vocalem, quae afferat etiam in recto eiusmodi rem et in obliquo aliam. Cui quidem vocali explicationi correspondebit mentalis explicatio, quae ratione referat eiusmodi rem ad aliam. Quod quidem contingit in ente impossibili, quando explicatur per istas voces ‚ens rationis‘, in albedine etiam signata vocibus istis ‚similis albedini *b*‘, et in Petro, quando explicetur per istas voces ‚prior Ioanne‘, ac denique in ente reali positivo explicato per istas voces ‚transcendentaliter verum‘. Quae quidem voces per analogiam ad veritatem logicam propositionis, cuius pars constitutiva <82r> ens a parte rei potest esse, explicant etiam ens³² in ordine ad propositionem enunciantem absolute de illo ipsius essentiam. Quam quidem propositionem ex parte obiecti, seu quantum est ex se, verificare potest ens reale positivum. Unde minime infertur, quod ens transcendentaliter verum dicat respectum transcendentalem ad actum intellectus.

³¹ Definitio ista minus communis fuit. Cf. M. SMIGLECIUS SI.: *Logica* 1, 1, Ingolstadii 1618, t.1, p. 4.

³² a parte rei potest esse, explicant etiam ens] conj.

[De distinctione inter ens et verum]

13 Rogabis ad extremum, an et qua ratione transcendentalis veritas distinguatur a conceptu formalissimo entis?

Respondeo, non distingui neque ratione ratiocinata.³³

5 Quod ita probo: Quod ens possit a parte rei existere, et quod possit a parte rei verificare, quantum est ex se, propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam, idem est formalissime. Ergo eiusmodi conceptus neque ratione ratiocinata distinguuntur.

10 Patet antecedens: Praecise posito, quod ens possit existere a parte rei, formaliter et immediate ponitur, quod possit a parte rei, quantum est ex se, verificare propositionem in sensu absoluto enunciantem de illo ipsius essentiam. Et e contra. Ergo neque ratione ratiocinata distinguuntur.

15 Nihilominus eiusmodi conceptus distingui poterunt ratione ratiocinante, quando videlicet attingantur per istos duos conceptus mentales ‚ens‘, ‚transcendentalis veritas‘.

³³ Cf. SUAREZ: *Dispp. Met.* 8, 7, 7, op. cit. t.25, p. 297a; OVIEDO: *Curs. phil.: Metaphysica* 3, 3, 2, op. cit. t.2, p. 300a. Oppositae sententiae sunt D. BAÑES OP.: *Scholastica commentaria in Primam partem Angelici Doctoris D. Thomae* Q. 16 art. 3 dub. 1, Romae 1584, col. 350A; RUIZ DE MONTOYA: *De scientia Dei* 88, 2, 15–19, op. cit. pp. 895b/96a; J. MARTINEZ DE PRADO OP.: *Controversiae metaphysicales* 1, 11, 21, Compluti 1649, p. 193b.